UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Ludovici De Ponte E Societate Iesv Meditationes De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Puente, Luis de la

Coloniae Agrippinae, 1618

Meditatio 7. De profunda Deiparæ humilitate.

urn:nbn:de:hbz:466:1-60798

Visual Library

MEDITATIO VII.

DE PROFVNDA DEIPARÆ humilitate.

COgitabo, profunda Virginem donatam fuisse humilitate, cui inprimis omnis eius exaltatio ascribenda est: nam plus cæteris se ipsa creaturis humiliauit, vt videre est ex eo, quòd dona sua & perfectiones altissimo presserit silentio, ne vel verbo aut signo minimo easdem prodendo. Exemplo sit angelica salutatio, quã ne Iosepho quidem sponso reuelare voluit, etsi siniſtra illius, de violato pudore, suspicio hoc aliquo modo videretur exigere. Eius quoque apparuit humilitas, quando auditis laudibus suis turbata est, quòd nimium quantum dimissè de seipsa sentiret: verus namque humilis omnem gloriam in Deum refert, & omnes idem vult facere, siquando diuino nutu illorum gratiæ & virtutes hominibus innotescunt. Hoc Virgo sanctissima præstitit, vt eius è cantico, in quod eius encomia Elisabetha detonante prorupit, videre licet.

2 Etsi verò Deo miserante ad matris Dei dignitatem sublimata esset, se tamen omnium creaturarum minimam credidit, ancillam se diuinæ maiestatis nuncupans. Et profunda hac humilitate factum est, vt

cum in Bethleem veniſſet, omnium loc
rum viliſſimum & abiectiſſimum ad p
riendum elegerit, ſtabulum ſcilicet, qu
& omnibus ſe legibus ac cæremoniis,
quibus immunis erat, vltro ſubiecer
verbi gratia, purificationi, non modò ma
ioribus, ſed & minoribus inferioribuſq; ſ
ſubmittens veluti Eliſabethæ, quam ipſa
dignitate præcellebat.

Exercebat & officia operaque abiecta &
humilia, idque magna ſpiritus voluptate,
vt quòd fabri eſſe vellet coniux, & dome
ſtica officia, velut infima ancillula, obiret,
fugiebat ad hæc quàm poterat maximè,
quidquid honorem ſpirabat, qualia ſunt,
miracula patrare, in publico & palam do-
cere, etſi Apoſtolorum ipſa magiſtra fo-
ret, hunc illis docendi honorem cedens,
ſatis eſſe rata ſi priuatim fideles edoceret.
Quin imò veroſimile fit, illam, dum cæte-
bus fidelium in primitiua Eccleſia inter-
eſſet, inter cæteras illam mulieres conſe-
diſſe, Dei verbum quàm attentiſſimè au-
diendo, & doctores ipſos ſacerdotes reue-
rendo.

3 Suam quoque humilitatem demon-
ſtrauit, dum voluntariam paupertatem e-
legit, & iniurias æquo animo pertulit. nã
toto vitæ tempore, pauperem ſe geſſit (re-
ſtis eſt Bethleemiticum ſtabulum, illius in
templo purificatio;) inter pauperes agere
gaudens, & iniurias contumeliaſque, qui-
bus

bus proſcindi inopes plerumque à diuitibus ſolent, inſigni æquanimitate tolerans; vt taceam illas quas à filij aduerſariis ſuſtinuit, quos rabiem ſuam interdum in matrem conuertiſſe ſit veroſimile. Satis item oſtendit, quàm profundas pulcra hęc virtus in anima ſua egiſſet radices, dum omnes filij reſponſiones acerbiores magna lenitate & mentis tranquillitate pertulit, vt dum illum in templo reperit poſt triduanam quæſitionem, & in nuptiis Canenſibus.

4. Denique ſuam humilitatem patefecit, cum filij crucifixi opprobriorum eſſe voluit particeps, quando ſcilicet ſub cruce conſtanter, ea dumtaxat de cauſa, manſit, omnes vt ſcirent eſſe illam crucifixi inter latrones & ſicarios matrem. Credi autem poteſt, dum infami hoc (iuxta hominum opinionem) loco conſiſteret, multis illam iniuriis & contumeliis ab inimicis & crucifigentibus proſciſſam fuiſſe. Secuta eſt in hoc Spiritus ſancti apud Eccleſiaſticum conſilium, *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & inuenies gratiam coram Deo.* Eccl. 3. Et ſane adeò ipſa perfectam inuenit, vt duodecim ſtellarum corona fuerit, in cōpenſationem duodecim præcipuorum humilitatis actuum, quos iam recenſuimus coronata. Hinc me ipſum feruenter ad humilitatem excitabo, eam omnibus in rebus exēplo reginæ cœlorū exercere & conſeruare conatus.